



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput IV. Honor Principibus, & Magistratibus debetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)

murent ad direptionem, partim non inveniendis bonos, dum mali sunt; partim timendo invenire, dum mali semper esse volunt (Hom. 5. de Pœnit.).

CAPUT IV.

Honor Principibus, & Magistratibus debetur.

Qui Episcopos ad regendam Ecclesiam posuit, idem ad regendas provincias Deus Reges statuit. *Omnis anima* (inquit Apostolus Rom. 13.) *potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Reges, quos Deus instituit, sive bonos, sive malos honorare subditi debent; nec leve peccatum putent, si debitum illis honorem negent, si verbis lacessant, si mortem, aliudve infortunium illis optent. Eorum jussis parere debent, etiam cum impune violare possent. Hinc emptionem, venditionem, ceterosque contractus juxta illorum leges debent inire. Legitima a Principibus statuta tributa & vestigalia solvere debent. Officia a Principe tradita debent suscipere, nec mollietate aut quietis amore se excusare, aut refugere onus debent, si communitati sint necessari. Ut Principis vitam servent, suam debent exponere, si opus est, & Reipublicæ necessitas exigat. Demum pro Principe Deum debent exorare. Id Apostolus Timotheo præcipit, ut id ipse exequatur, & fidelibus faciendum jubeat.

Obs.

Obsecro igitur primum omnium, fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agant (Timoth. 2.). Hoc sequens exemplum Ecclesia pro Regibus & Principibus orat in sacra Missæ liturgia; &, qui adest, populus se illi debet conformare. Apertam rebellionem omitto, seditiones, domestica aut extranea fœdera, quibus contra Principem adhærere lex Dei subditis vetat; non enim hæc peccata communia sunt, neque ullo nomine excusari, aut defendi possunt.

Dei lex, quæ populum suo Principi subjici jubet, illis quoque eum subdi præcipit, qui regendi populi auctoritatem a Principe obtinent, videlicet provinciarum Gubernatoribus, & Magistratibus. Expresse id tradit sanctus Petrus: *Subiecti estote sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis (Epist. I. c. 2.)*. Ipsis data proportione est igitur honor sicut Principibus exhibendus: secus Deus læditur, cujus providentiæ ordo ad Reipublicæ tranquillitatem necessarius turbatur.

CAPUT V.

Regum & Principum officia.

Quæ Principibus suis debeant subditi satis sciunt, illaque a Concionatoribus sæpe audiunt; verum non omnes sciunt Principes, & nonnulli forsan ignorare malunt, quæ Principes subditis debeant. Veritates, quas oderunt, ne-